de plurimis vij

Ego ubi prima heremi
ingressus sum xij fere
a nilo milibus habebam autem
unum ex fratribus ducem locorum
peritum pervenimus ad quen-
dam senem monachum sub ra-
dice montis habitantem. Ibi
quod in illis locis rarissi-
mum est puteus erat. Bove
unum habebat cuius hic erat
totus labor impulsa rotali
machina aquam producere.
Nam fere mille aut am-
plius pedum profundum pu-
tei ferebatur. Hortus illic
erat multis holeribus copio-
sus id quidem contra natu-
ram heremi ubi omnia aren-
tia exusta solis ardoribus
nullius umquam seminis vel
exiguam radicem recepisse
feruntur. Verum hoc sancto illi
labor cum pecore communis
et propria prestabat in-
dustria frequens enim irri-
gatio aquarum tantam pin-
guedinem harenis dabat
ut mirum in modum virere
atque fructificare horti illius
holera viderimus. Ex his
igitur cenam cum domino bos ille
vivebat. Nobisque ex ea

copia cenam sanctus dedit. Ibi
vidi quod vos galli forte
non creditis ollam cum hole-
ribus que nobis in cenam pre-
parabantur sine igne fer-
vere. Tanta vis solis est
ut quibuslibet coquis etiam
ad gallorum pulmenta suffi-
ciat. Post cenam autem iam
inclinante vespera invitat
nos ad arborem palmam cuius
interdum pomis uti solebat
que fere duobus milibus ab-
erat. Nam hee tantum in
heremo arbores licet raro
habentur. Tamen quod utrum
sollers antiquitas procu-
raverit an solis natura
gignat ignoro. Nisi si deus
prescius habitandam quandoque
a sanctis heremum hec servis
suis paraverit. Ex magna
enim parte qui inter illa
secreta consistunt cum alia
ibi germina nulla succedant
istarum arborum pomis aluntur.
Ergo ubi ad illam ad quam
nos humanitas nostri hospitis
ducebat arborem pervenimus
leonem ibi offendimus. Quo
viso ego et ille dux meus